Appellatio ad Fratres Exteros,

In qâ Controverſiæ ſtatus inter *Hierarchicos* & *Nonconformes Anglicanos*, veriſſimè & abſq; offuciis qibuſlibet, proponitur.

Plurimorum *J. Chriſti Miniſtrorum* hortatu atq; deſiderio ſcripſit, emiſítq;

Chriſtianus Catholicus.

Amem ego viros *approbaturos* Cæremonias noſtras, ſed nihil *approbem* illas *amaturos*. Anglicè, in verbis ipſiſſimis; "*I can Love men that Like our Ceremonies* "*but I cannot Like men that Love them.*

USSER. Archiepiſc. ὁ πάνυ, reſponſurus Londinati cuidam roganti, qid eſſet qod *Medullitùs* de Cæremoniis ſenſerit.

Spes eſt fore aliqando ut Dominus homines arguat hujus Veritatis; Unionem Eccleſiarum magìs conſiſtere in unitate Fidei & Voluntatum, qàm in uniformitate Rituum & Cæremoniarum qarum Fides eſt dubia.

STILLINGFLEET Cl. in Irenic.

Certus ſum abhorrere à praxi primævâ, & moderatione tunc Adhibitâ, qemqam ſua functione Miniſteriali vel ad tempus, vel in perpetuum abdicare, eo tantùm nomine, qod in Veſtibus, Ritibus & rebus ejuſmodi non ſe conformem cæteris præſtet. *Idem ibid.*

Typis *S. N.* Impenſis *L S.* Anno Dom. 1690.

Reverendis Archiepiscopis, Episcopis, & *Clero Ecclesiæ* (*ut loquntur*) *Anglicanæ universo*, S. d.

QUandoqidem *Appellatio* nostra, Viri colendi, *Dominationes* vestras spectat, & Vos *pro libitu* in illam introspicere par est; *nos* eam *Vobis* ingenuè commendatam exhibemus.

Non obstantè, qod nihil responsi *Expetimus*, sat scientes non esse qod ad rem reponi poterit; qin nec *Expectamus*, cùm Argumenta nostra jamdudùm *Anglicè* loqentia, prorsùs insalutata præterire Reverentiis vestris placuerit.

Unicum est igitur de qo monendos esse hìc loci, duximus. *Perdolendum* eqidem unum; & qod *meminisse horret* animus unusqisq; haud GRATIA simul exulans & VIRTUTE. Attamen rebus Christianæ *Religionis* sic *stantibus*, seu potiùs, per dissidia à Vobis propagata, *ruentibus*, tacendum minimè, sed in hanc lucem proferendum.

Bonis plerisq; omnibus increbuit sententia, aut *paululùm* aut *planè neqicqam* deberi Lites & Simultates Nostras, strigosæ isti, qæ tantoperè obtenditur, Causæ. Nimirum *diversissimo de Disciplinâ* & *Cæremoniis*

niis animo; de qibus *incruentèr* satis, & vel *amicissimè* dissentire jam tandem didicerunt *Probi*, *utrinq*; qilibet. Cæterùm, nota loqimur; è *Vatiniano Pietatis odio, inter Vos & vestrum Seqaces grassantissimo, proficisci perhibent.* Odio, omnibus *ob oculos* posito, atq; à *Vobismet aliqam multis* diu multúmq; deplorato.

Interesse vobis *egregia Pietatis exemplaria*, nos adeò non inficiamur, ut qàm *verecundè* tam *lætantèr* agnoscimus; nec aliqandò (qod absit) dissimulamus. Veruntamen, (qod cum omnium pace dictum *volumus*, & cum bonorum veniâ *credimus*,) eloqendum est;

Qoad Sanctitatem, *Nonconformes* longo intervallo post se relinqere *Hierarchiam* vestram, omnibus in ore est. Omnibus ferè *cordatis*, à parte vestrâ, non secùs ac nostrâ, stantibus. Nos *S. Verbi Ministros*, *Deo* qæ *Dei* sunt, & *Cæsari* qæ Cæsaris, reddere; atq; otium, ingenium, operam, & qidem oleum omne nostrum, in animabus *Christo* Lucrifaciendis impendere, uno ore pronuntiant. *Populum nostrum*, indies S. *Scripturam* legere, *S. Preces* unà cum domesticis Deo effundere, eósq; singulos in Fide & Obseqio S. *Evangelii* erudire, facem *Virtutis* & *Pietatis* vicinis præferre; ubíq locorum edicunt. Qanqam oblatrant utrísq; immanitèr, perfrictæ frontis *hominum vappæ*, & *fæces humani generis* miserandæ. Homunculi, qi, perindè *Conformem* qémq; sanctiorem & *Nonconformem*, odio proseqàntur, dirísq; vovent assuetissimis.

Interea cùm *Clerum* tum *Plebem Hierarchicam*, partem longè

longè maximam, iidem conqeruntur, in *Lusu, Crapul* *Ebrietate, Dejerationibus continuis*, & *nullis non vitiis* diffluere. Præsertim in nefariis suspiciendæ *Pietatis irrisionibus*, sannis, & dicteriis impotentibus. Qod qidem non *loquntur* solùm, verùm etiam *personant* propalàm viri numero plurimi, *cœtibus vestris* ab unguiculis *innutriti* & etiamnùm *addictissimi*. Sed, ne *nimii* simus;

Hinc fieri non posse autumant, ut in *unum corpus* antè coalescamus, qàm immutat *corda tot neqam* Sanctitatis & Pacis Parens: facítq; ut *Pars regens* vestra, & *Duces gregis*, cœlestia sapiscant; summum bonum in Deo amando collocent; studio Religionis *Christianæ* se addicant; & praxi illius succumbant, aculeis conscientiæ internis confossi. *Theatricæ* tantúm Pietatis & *nequissimæ* vitæ mancipia, cum iis comitèr cohærere, qos vivus vividúsq; possidet *cœlestium Sensus* ac *Amplexus*, nefas esse arbitrantur; &, ne incassùm præstolemur, nos commonent identidèm.

Qamobrem ad *Preces & Lachrymas*, triarios insuperabiles, ventum est. *Fratrum exterorum* suffragia qidem si obtinuerimus, isto laboris tantilli hujus *successu* gaudebimus. Sin minùs, solatio erit pii propositi *conscientia*. Utcúnq; res ceciderit, *Deum immortalem* rogabimus jugitèr, ut unumqemq; intèr Vos *Pium* & *Pietatis promovendæ cupidum*, nulla non complectatur salus. Et ad *cæteros* qod attinet; precabimur, ut *diei illius in qo reddenda est gestorum ratio*, recordemini haud perperàm & *pœnitentiam* agatis παντῶν περὶ σκληρῶν *non pœnitendam*

Faxit utrumq; *Pater cœlestis*, in qem *Nos Nostráq;* omnia

omnia conjicimus, *animas in patientiâ possidentes!* Sacrosanctæ Majestati suæ gratésq; laudésq; accinimus, ob *restitutionem in servitute aliqantulam*, non ita pridem concessam. *Benedictus sit Jehova Deus majorum nostrorum, qi indidit rem talem Regis animo, Senatûsq; ad ornandam Jehovæ domum in Brittanniâ nostrâ.* Ipse *ex irâ hominum*, (qammaximè *Ennosigæâ*, & vel *Ecclesiæ maleficâ,*) *conciliabit sibi laudem*; *qodq; reliqum est iræ*, nutu *cohibebit* tempestivo.

Ut servus observat Domini manus,
Gestus & omnes, Lumine mobili;
Arguta ceu nutus acutis
Serva oculis Dominæ tuetur;

TE nostra spectant, TE, Domine & Deus,
Intenta mentis Lumina; dum graves
Iras remittas, servulísq;
Des Veniam, bonus, atq; Pacem!

O lenis, in nos respice: servulis
Jam parce tandem; parce FIDELIBUS;
Qos hostis INSULTANS superbo,
Ludificátq; premítq; vultu!

Amen.

Reverendis

Reverendis in Jesu Domino Fratribus & Conservis dilectissimis; S. Evangelii Ministris transmarinis ubiubi agentibus; cum Reformatis (*ut loquntur*) *tum* Lutheranis *insimul colendis.*

Ministri Nonconformes Anglicani salutem dicimus.

OCcupati occupatos allocuturi, præfatorias ambages, (*otiosorum crepundia*,) dedignamur, *Viri Optimi!* Qod ipsum spectat *Alloqium*, cùm coegerit *Necessitas ferrea*, satis pro eo perorabit *Humanitas vestra.* Qapropter *in mediam rem* protinus, adulandi gens nescia, descendimus.

Multum est ex qo in *Conformes* & *Nonconformes* lacerati sunt *Protestantici* nostrates. Nimirum ab incunabulis beatissimæ cæteroqin *Reformationis.* Id mali à *Gadibus ad Gangen* diffamatum, fando vos fortean excepistis, seu alicubi librorum legistis, qalitercunq; depictum. Neq; instituti est hodierni, perdolendæ istius in partes scissuræ, *Historiam* contexere. Qanqam qod maximè deflent boni omnes, & *soli gratulantur Achivi*,

tacendum

tacendum est minimè; scilicet immedicabile vulnus, vel etiamnum superesse. Qinimò & qæ *humi olim serpsit*, ætate nostrâ supramodùm invaluit & planè *regnavit fera Erinnys*.

Verum qidem est, nec qis sanus iverit inficias; inqietabat non paucissimos sub EDVARDO Rege 6to recens edita cum *Ritibus* annexis *Liturgia* nostra. Nèc priùs in *Angliam* suam redierant sub Persecutione MARIANA exules, qàm densior multò creverit *Nonconformium* seges. Et ELIZABETHÆ annum prope vigesimum qintum, (post mortuos *Parkerum* & *Grindallum*, Præsules ad Pacem Ecclesiasticam natos;) scuticam passi sunt non unam. Idq; per omne illius regnum; & JACOBI 1mi, qanqam spem dederant meliorem *institutio Scoticana*, & eruditio qâ is erat eximia. Anno plus minùs 1603. ipsi offerebantur mille Ministrorum *J. Cri.* libelli supplices, pro reformandis & *Cultu* & *Clero*, & *Disciplinâ*. Atq; alteri, Ministrorum viginti duorum, intra *Londinum* & *Suburbia* degentium, pro dignanda Concionandi Libertate! Sub CAROLO 1mo, in eodem ferè loco steterint aliqantisper *Nonconformium* res parùm prosperæ. Ast *Laudo*, Archiepiscopo *Cantuariensi*, (aqilâ muscarum ritualium captantissimâ,) *vertice mox sydera feriente*, duplicantur lateres, si loqi fit; multiplicantur gravamina. *Nonconformes* ergo, confertim se in fugam recipere. In *Hyberniam* transfretârunt multi, in *Hollandiam* non pauci, in extremos *Indos plurimi*; plorantibus intereà domi relictis, emori *S. Verbi Præconium*, excedere *morum* è gente *Temperantiam*,

perantiam, Languere *Mercaturam*, vivere & valere *Papismum*, in deterius vergere omnia. At de CAROLO 2do optima sibi omnia pollicebantur pleriq;, usqeqò in tenues auras evanuit aurea *Bredæ* data Declaratio. Qæ non ita multò post reditum, ludificandi causâ fuisse natam sat innotuit. In *Laudi* seqacium verba juratus Rex perditè (ut *Præsules* sibi haberet astrictiores,) nos ipsis, prædas in partes discerpendas, projecit. Nec mora, qin, illi, sui per omnia simillimi, (ne qid durius dicamus) anteacti temporis tragædias superâre universas.

Una strages *Bartholomæa* anno 1662. *Aug*. 24. lata, *circiter bis mille* Ministros ab *Officio* expulit & *Beneficio*. Atq; eodem sub tempore, è *Laicis* haud numerandi greges simillimæ ceciderunt victimæ. Neq; hic substitit inauditus antè *Zelus*. *Nonconformes*, utrumq; genus, vel mortuos occidere, non morati sunt *Hierarchici*. Leges subinde novas nos contra, è *Senatu*, in sævitiam minùs properaturo, subdolè extorserint & multoperè. Delatores, qos *Informatores* vulgò dicimus, ære ciere, & martem contra conventus qoslibet nostros cantu accendere, egregia laus habita est; merces magna, bellum qidni sacerrimum. Nullâ non veniâ *Papicolis*, *Ebriosulis*, & furfuris cujuspiam *Atheis* interea temporis concessâ.

Regnaturo aliqantulùm JACOBO 2do visum est, subjectis omnibus colendi Deum pro beneplacito, copiam facere. Nec placidissimè *Hierarchicos* nostros, (extra omnem teli ictum positos se somniantes) tractare.

tractare. Atq; *hinc illæ Lachrymæ*, qas in Lethen præterfluere *taciti* nos faciles patimur. In nos jam tum (*volentes nolentes*,) destitêrunt abs arietando. Nunc autem, Deo misericordiarum Patri grates, GULIELMUS Serenissimus noster cum *Senatu* ab unguibus tutelam firmatam largitus est.

Veruntamen illis, *eadem mens idemq; manet Animus*. Haud segnes erga nos inimicitias cùm alunt, tum palàm faciunt. Exceptis, qi, à partibus stant nostris cordicitùs, & gemebundi satis agunt sub *Patrumq; Fratrumq;* gravissimâ paci turbâ. Invisa *Episcopis* plurimis capita, nec *germanorum Conformium* titulo dignanda.

Missa facimus innumera, pacis, utut diffugientis, perpetim studiosi. Illa tantum in medium proferre gliscit animus, qæ citra injuriam nobis gravissimam non taceri posse censemus.

Convitiorum certè plaustra in nos Exonerari, & de industriâ in hominum monstra vertere, dissimulandum non est. Sic etenim fieri existimamus, ut *Transmarini* vos fratres & inclementèr de nobis sentitis & parùm candidè (ut dicamus mollissimè) aliqando *pronuntiatis*. Idq; dum, *per nostra latera*, vos ipsosmet *Hierarchica* confodit inclementia; *vestraq;* ob fabas in nos cusas, paritèr vapulant *terga*.

Qocirca *vexatissimæ* qæ intercedit *controversiæ*, statum aperire allubescit. Neq; qaslibet infamiæ notas recusamus, si latum in qâpiam re unguem à veritate discesserimus.

Non

Non causæ pro causis nostræ Nonconformitatis, decantantur creberrimè. Sed, qod nôrunt qotqot nos haud prorsùs ignorant, *confessionem fidei Anglicanam*, de fide totam qotam exosculamur. Imò & abs illâ in concionibus plerumq; abludentissimos, ægris oculis videmus *Conformistas*.

De partis nostræ Ministris in grandi cum *Hierarchicis* certamine, an. 1660. & 1661. in *Sabaudia Londinensi* habito, dici seqentia possunt, refelli non possunt.

Statas *S. Precum formulas* in se illicitas non somniârunt. Qin & *Liturgian* in ipsissimis S. *Scripturæ* verbis conceptam, ipsi concinnârunt.

Liturgiæ Anglicanæ materiam, ex parte maximâ sanam esse dederunt. Authorum τῶν πάνυ memoriam veneraturi, Librum probè laudabilem agnoverunt, & non contemnendæ *Reformationis* exordium. Qamvis non omni carere mendâ, *pro hebetudine sua*, capere non erat.

Demptis item offendiculis in ipsâmet *Liturgiâ* demonstratis non statuerunt ergo non posse *piè* Legi, qia *parùm piè* impôsta fuit *Lectio*.

Mendis repurgatum id *Liturgiæ* lectùm ire, alii sunt polliciti; & vel non emendatum, qoad partes legere, modo ad S. *Ministerii* exercitium *partialis ista Lectio* sufficeret.

Sanctorum Festa simpliciter non damnârunt. Piè transigi dies istos posse, in laudibus Deum efferentibus ob *Apostolos* Ecclesiæ donatos, & vel ob *postera Reipublicæ Evangelicæ columina*, non abnegârunt.

Genuflexionem inter celebrandum sacram Cœnam, superstitionis

ſtitionis ſtigmate non inuſſerunt. Cruentiſſimum qidem nefas putâre, nunqam tradi ſacra ſymbola Fidelibus id geſtûs formidaturis.

Imponendi S. Bibliis manum, & deoſculandi ritum in Jurejurando ſolennem, non incuſârunt.

Contra *Annuli uſum in Nuptiis celebrandis adhibitum*, neq; μῦ illis neq; γρῦ excidit.

De *Superpelliceo*, cum cæteris (qæ natio *Hierarchica* deperit,) indumentis, nullas illi accendêre lites. Id unum avebant, non exulare *S. Miniſterio* unumqemq; vel præſtantiſſimum, τὸ licere eorum, addubitaturum.

Omnem *ſignaculi Crucis uſum*, in claſſe illicitorum non collocârunt; tantummodò iſtum in *S. Baptiſmo* arreptum, qi in eo peccat, qod iſta ei defert, qæ ſolis divinitùs inſtitutis deferenda ſunt. Hunc intrepidè *Gorgonis caput* pronunciavere, & abominandam humani Sacramenti imagunculam.

Adverſus *Epiſcopatum*, i. e. Præſidentiam ſuper *Preſbyteros* ſolo gradu diſtantes, eamq; Ordinis ſolius nuncupandam, & non niſi *in infimæ ſpeciei Eccleſiâ*, ne verbulum illi leviſſimum.

Neq; *Archiepiſcopos* contra, ſeu *Dioceſanos* adinſtar *Archiepiſcoporum* regentes, ſe ſtiterunt, eo prius impetrato, ut non niſi juxta Verbum Dei regant.

Metrapolitanos, *Patriarchas*, *Cancellarios Laicos*, *Commiſſarios*, *Surrogatos*, *Archidiaconos*, & qicqid eſt reliqi ne contra hiſcere qâ Regis Miniſtros: dato prius qod haud divagentur extra oleas, ſed rerum ſuarum ſatagant. Et ſi *Miniſtri* fuerint, *Miniſterium*; ſi *Magiſtratus*

giſtratus ſe habuerint, *Magiſtratum* (nil ἀλλοτϱιοεπισκόποι) curent.

Obſeqii *Prælatis* præſtandi in antedictæ poteſtatis exercitio, *Promiſſa* ne minimùm improbâre.

Nedum aliqando in dubium vocâre *Fidelitatis* & *Suprematûs juramenta.* Nil minùs: At lubenter lætanterq; CAROLO 2do reduci fidem utriſq; juratis voverunt.

Vulgatæ Regum Excommunicationes, haudqaqam illis arriſerunt. Si qando incubuerit divini præcepti neceſſitas, ſubtrahenda eſſe Regibus ſacra Symbola, contendunt & *Andreas* & *Bilſonus*; qanti Antiſtites? Nec plùs hilum noſtri.

Poteſtatis Eccleſiaſticæ claves in manum poni *Laicis* qibuſlibet, haud unqam libitum eſt.

Magiſtratibus negotium dari, ut vi & armis *cenſuras Eccleſiaſticas*, qâ tales, proſeqantur; & de homunculis Eccleſiâ ejectis Pœnas ſumant; atq; ob non redeundum in illius ſinum, flagellent; non opinati ſunt.

Adiaphora non prius à Magiſtratu poſtulari, qàm id propter in nefaria migrare, animis haud finxerunt.

S. *Scripturam* omnibus & ſingulis ſacri cultûs circumſtantiis normam adducere particularem; nec qidpiam de *Tempore*, *Loco*, & ſimilibus, juxta generales & *Pacis* & *Edificationis* regulas determinandum relinqere, ipſis non inſedit opinio.

Immiſcere nos *Cœtibus* non omni crimine vacantibus, aſt alio atq; altero commaculatis; iiſq; Cultum ipſum incurſuris, nefas eſſe contenderint nulli. Sat

ſcientes

ſcientes contra ſtilem loqi, qi ſe in malorum omnium participationem devenire, eò loci qo Deum colunt admiſſorum, ſibi fingunt.

Abs *Eccleſiâ unaqualibet* anarchicâ, & vel neqiſſimis utrumq; apporrecturâ Sacramentum, haud illicò aufugiendum docuêre: Niſi in purioris Eccleſiæ gremium, eſt ut qis ſe recipiat.

A receptis cujuſpiam *Eccleſiæ moribus*, Conſcientiæ injuſſu & ingratiis, recedere; neq; in *rebus indubitatis*, concordiæ ergô, *viam tritam terere*; Vertiginis magìs eſſe qàm *Pietatis* arbitrati ſunt.

Neqitèr vicinorum animas ut per ſcandala peſſundemus, *Reges* mandare poſſe non tulerit animus. Cùm autem grandius multò malum ex *Contumaciâ* qàm ex *Scandalo* videtur profecturum, poſteriori huic ſuccumbere oportere ſtetit ſententia; & ex utríſq; non avertendis malum pati levidenſius.

Miniſtros *Parochiales* atq; Eccleſias pro nullis habuere nulli. Néq; qoſlibet diſcedere ſunt hortati, niſi cùm multò præſtantiores præ foribus eſſent; atq; illis ſe adjungendi, commoda non defuerit opportunitas.

Eccleſias palàm mendoſas *contumeliis afficere*, impendiò ſceleſtum cenſuerunt; at omnium colere pacem religiosè, *S. Evangelio* digniſſimum.

Amore proſeqendas vel illas ſenſerunt, qarum *poſtulata neqam* nos à Templis ſummovent.

Sic illi manus; ſic ora ferebant, viri à *Superſtitione* haud plùs metuentes qàm à *Separatione*: Et diſtinguere

doctiſſimi

doctiſſimi inter *Tolerandum* qæ amovere nón opus eſt mala & *Approbandum*.

Patrimos cum *Matrimis*, pro antiqo more acceptos, neq; ipſi improbârunt aut nos oppidò improbamus. Nempe tunc cum pro liberis *Fœderatores* ſtent Parentes; ſeu in ſuſpicionem venerit ipſorum à ſancta Fide defectio, vel è vivis propera migratio. Aut qoties cordati qilibet Fideles, Liberos, optione factâ, deligunt; & in familias ſuas aſciſcunt enutriendos.

Confirmatio verè dicta; & ſolennis, *Baptiſmale fœdus agnoſcentium* in adultorum Fidelium claſſem relatio, uſq; adeò non diſplicet qòd, ex hujus nos inter, usûs, revocandi deſiderio propè ægrotamus. Cui qidem Proteſtationi, atteſtantur *Libri operosè pro ea propugnaturi*, qos elucubravimus.

Scripta qod ſpectat *Apocrypha*, Librorum *ædificationi* inſervientium lectio neqicqam nos urit. Modò abſit *Scripturæ Canonicæ* vilipendium omne, & fiat (qam illius ſibi vendicat honos,) debentiſſima *Apocryphæ* abs illâ diſterminatio.

Geſtus corporis, cultum internum ſpiritualem decentèr ac venuſtè deſignantes, valdè nos volumus. Atq; indecoros in S. *Precibus* aut *Concionibus* ſermones, habitus, geſtus, actionéſq; faſtidimus. Utpotè læſæ Cœleſtium majeſtatis reas, &, utut inopinantèr, deſpicatui tradituras deterrimo.

Maleſanam non occlamamus *Liturgiam* ob Charitatem & Spem eouſq; (in *Abſolutionis*, *Sacramentorum*, & *Sepulturæ* officiis) extendendum, quoúſq; proba ſuſtinet,

net, nec in divina peccans Teſtimonia, ratio.

Ardeliones in *Sacrum Miniſterium* irruituros non habitâ *Ordinatione* prævià, culpâ levamus minimè. *Schiſmatum* & *malorum* duces *inenarrabilium* judicamus *Paſtorum* ætate provectiorum eſſe, de *Candidatis* Miniſterii uſitatè ſententiam ferrè, inter nos convenit.

Horum omnium, limitibus carentem *Tolerationem* nil expetimus. Nos ſi audirent Legum-latores, *Approbatos* alerent lautè & ſpectatos unoſqoſq; *Medioxumos* & *Tolerabiles* ſufferre non gravarentur. *Non ferendos* & Reipublicæ Chriſtianæ maleficos Καδδύναμιν conſtringerent; ſcilicèt ne pravæ *pecudes* totum ſcabie & porrigine inficiant *Ovile*.

S. Religionem qâ fiat longè latéq; diffundendam, in nullâ non gente cupimus. Et *Eccleſiam* tum eſſe tum dici *Nationalem*; Nimirum uti ſic audiunt *Eccleſiæ* in regno qolibet conſociatæ, unóq; ſub *Monarchâ Chriſtiano* agentes. Intereà noverint univerſi; eliminandos eſſe qibuſcunq; non arriſerit ſententia hæc noſtra, multùm abeſt ut (immanes, & pacis Evangelium dediſcentes) conſentiamus.

A *Templis Parochialibus* freqentandis in *Conventicula* populum illicere, non coacti non geſtimus. Cœtuum Conformium qâ jure poſſumus, famæ non ſiniſtræ ſtudemus. Sat ſenſuri, qantoperè Imperatorum & *Amicitia* & *Præmia* orbes componunt univerſos, vel rei religioſæ tenus. Hos autem in *Atheiſmum* potiùs immergi qàm *Conformium* cœtibus adjungi, *Nonconformes* haud malumus.

Neq;

Neq; reverâ, *vetantibus id Magistratibus*, nobis *concionandum* esse opinio est; nisi cùm ingens liqidò constiterit necessitas.

Ad *Seditiosum* qicqam, *Schismaticum*, seu *Perduellione tinctum* nos obligare *Ligam* (ut loquntur) *Scoticanam*, aut alicujuslibet qicqid est Fœderis; sive ab obeundo superioribus qibuscunq; obseqio emancipare; nos cogitando procul absumus.

Juramentum Oxoniense dictum, (& si qa fuerint consanguinea,) non ergo recusavimus, qia qod in licitis obedire Majoribus astringunt, & obniti vetant. *Cæsari* etenim *qæ sunt Cæsaris* eatenùs ultroneè damus, qatenùs eloqitur aliqis *S. Scripturæ* textus, *Synodus* qælibet generalis, sive exaudita qævis *Ecclesiastica Confessio*. Uno verbo, qatenùs de eo inter *Jurisperitos*, *Politicos*, & qousq; legimus, *Historicos* constat.

Synodorum non malè habet nos, aut *Conciliorum* usus. Principibus leges circa sacra condituris, præstò esse, cùm è re Catholicæ Ecclesiæ fuerint, commodum ducimus. Neq; *ob lanam caprinam* abs institutis recedendum esse existimamus, qi ista tamen *pro Legibus* minimè habemus; at vel maximè *pro Contractibus*.

Hactenùs pax alma, *Viri Clarissimi*! sequntur Luctuosa ἔριδος μῆλα, qæ qantùm vos oblectaverint, aut malè habuerint, sciendi desiderio laboramus. Atq; ut è literis ad nos datis brevì innotescat, rogamus supplices.

Valedixerat Episcopis *Diocesanis Anglia* nostra circiter ann. 1645. Nos, abs eo temporis, ferè omnes à *Presbyterorum* Conventibus *Ordinati* fuimus. Sed (in

hoc genus tempora reſervamur!) *Reordinatio* antè exigitur, qàm aut *Beneficium* qale qale, aut ipſius S *Miniſterii exercitium* inter *Hierarchicos* confertur. Odioſæ qidem *Reordinationis* vocabulo abſtinent, qi cominùs eminùs ob rem nuſqam non infamem contendunt. Irrita eſt, obſtrepunt, & planè nulla, per *Presbyteros Ordinatio* facta. Reponentibus (inter cætera) nobis, conclamatum eſſe hâc ratione de *Eccleſiis Tranſmarinis*, regerunt ſatìs multi (pro mente quâ ſunt enormi & fronte,) *Turbas eſſe inconditas, diſſolutas, nec Eccleſiarum appellatione dignas.* Interea in Eccleſiam Romanam hi *motus animorum, & hæc certamina tanta* haud exardent. Qi Ordinatis à *Presbyteris aut Ciſmarinis aut Tranſmarinis* præcluditur in *Eccleſiam Anglicanam* aditus, patet totus in *Papali Synagogâ* Ordinatis. Qod qidem gratiæ, *Laudenſibus* gallinæ albæ filiis acceptum referre non diſpudet; qandoqidem *Bancroftis* noſtris, *Mortonis, Uſſeriis*, atq; omni certè Eccleſiæ *Laudi* veſtigia non preſſuræ, nec audacia iſthæc neq; in ſupremo ſtans culmine inerat faſtus. Attamen improbæ huic contumeliæ cedendi imperitis; & Miniſtri plùs ſemel faciendi, (ſc. *Reordinandi*) & ferendi ſuper ſinciput ſparſa *Epiſcopi* reordinantis mendacia; deniq; & vos *Fratres Symmyſtas* unà cùm nobiſmet ipſis de gradu deturbandi; locus in *Miniſterio Anglicano* ſupereſt nullus. Uſq; adeò rigidiſſimè præcipitur ut ordinemur denuò *Presbyteri* per impoſitionem manuum; nec ſine iſtâ verborum formulâ, *Recipite Spiritum Sanctum; qorum peccata remiſeritis remiſſa ſunt, &c.* Etiam

ut

ut creati ſimus *Diaconi*, & palàm profiteamur nos à *Spiritu Sancto* moveri ad illum gradum *Diaconatûs* ſuſcipiendum: in qo itidem tenemur *per annum integrum* reſtare, niſi *Epiſcopo* ob graves cauſas alitèr ſit viſum.

Sed neq; viris infra ſe deſcendere parùm ſolentibus, ſatìs ipſa Reordinatio noſtra fecerit. Inter denuò Ordinandum hoc juramenti (ſi placet) irrogatur: *Ego A. B. juro qod præſtabo veram & Canonicam Obedientiam Epiſcopo, ejuſq; ſucceſſoribus in omnibus licitis & honeſtis.*

Abs eo autem concipiendo deterrent nos & detorqent non leviſſima multa. Subolet *pro confeſſo haberi*, licitum eſſe & honeſtum id omne, qod poſtulant, qibus evidentèr reſpiciendum eſt à Juraturis, *Canones*. Cui qidem opinioni, nos, ante Græcas Calendas haud aſſenſerimus. Sapientèr hoc an ſecùs, ſecuturæ aliqadatenùs eloqentur rationes. Accedit item adminiſtrare regimen *Epiſcopos* per *Cancellarios Laicos*; Eccleſiæ Claves uſurpatione turpitèr ſacrilegiâ temeraturos, in decernendis *Excommunicationibus* atq; *Abſolutionibus*. Iſti verò neqitiæ teterrimæ jurejurando caput demulcere, noſtrum non eſt. Nec prætereundum eſt, neſcire penitùs *Sacram Scripturam*, & *Eccleſiæ Primitivæ* praxin, *Præſules Dioceſanos*, ducentas & ſuprà *Eccleſias* rectuuros, abſq; *Epiſcopis* qibuſlibet ſub illis diſciplinæ qidpiam exercentibus. Neſcire inſupèr utramq *Epiſcoporum* noſtratium proſapiam; *qos omnes abſq; electione Cleri cum gregibus, & vel conſenſu præceſſuro, niſi umbratili, pro arbitrio Rex ſeligit.* Qapropter qi noſmet iſtis Sacramento obſtringere, nec in *Vſurpationis*

ſuæ

fuæ reatum venire, possimus, Lusciosi haud videmus.
Ordinatis insupèr qomodocunq; abs *Episcopis* hisce; & *id Juramentum* præstantibus, obstruuntur ora Epistomio non ferendo. *Concionari* etenim nefas est, seu S. *Scripturæ* portiunculam qamvis elucidare; aut qicqam, nisi editas à superioribus *Homiliis*, legere, ante impetratam ab *Episcopo* (qæ sua est calliepeia,) *Licentiam*.

At *qod genus hoc hominum est*, qos penes est & *Ministros facere*, & *ab Officio Ministrorum obeundo insimùl detinere?* Etiam & abs Officio unuscujusq; *Laici* sacris literis fœlicitèr imbuti. Inter Ordinandum his verbis nobiscum paciscuntur.

Q. *Statutum est tibi è S. Scripturis commissos custodiæ tuæ populos erudire ?* R. *Statutum est Dei gratiâ.* Q *Operam fidelem tuam navabis, ita Verbum, Sacramenta, & Disciplinam Christi, nunqam non ministrare, pro Præcepto Domini, &c. ut populos curæ & custodiæ tuæ creditos, omni cum sedulitate ista agere & observare docere possis?* R. *Sic agam cum auxiliaturo Domino.* Q. *Paratus eris cum fideli diligentiâ omni fugare ac arcere erroneas unasqasq;, peregrinas, & adversas Verbo Dei Doctrinas? Monitionibus item & hortatibus cum publicis tum privatis, ægrotis juxta ac sanis, uti, pro re natâ & occasione se daturâ?* R. *Ero, Domino mihi opitulaturo.*

Post hoc pacti tam disertè constituti, nil subveretur *insulata Pietas*, sacratissima Evangelii præconio ora obturare! Datariæ autem sunt *Concionandi Licentiæ*, dixerint. At qid inde, rogamus, eliciendum est? Non omnibus

omnibus *Ordinatis* dari palàm est. Ordinatis olim plerisq; haud prostant venales, nec absq; cusis abs isto tempore conditionibus seu pactis veneunt. Et (qod rei caput est,) si qidem datariæ sint omnibus promiscuè (qas loqimur,) *Licentiæ*, attamen *arbitrarium* intereà fit Ministerium; *Hominum* servi *videntur* & *sunt* singuli, *B. Servatoris* Ministri; inq; *Episcopis* situm est S. *Evangelii* (*secundum magìs & minùs*) *Monopolium*. Qod si *Romanenses* (sàt placidè) passi fuerint nundinatores, nos à *Sacrilegio* caventes, *perfidiâ*, atq; *animarum internecione*, districtìm *nolumus Jesu Christi Leges everti*.

Qin nec *Ordinandus* qisqam est, aut in curam animarum antè admittendus, qàm in hæc verba (*nec qælibet alia*) declaraverit.

Ego A. B. *præbeo non fictum Assensum meum Consensumq; omnibus & singulis contentis ac Præscriptis per Librum cui titulus Liber Communium precum & administrationis Sacramentorum, aliorumq; Rituum & Ceremoniarum Ecclesiæ Anglicanæ; unà cum Psalterio sive Psalmis Davidicis punctatis prout vel Cantandi vel Legendi sunt in Ecclesiis. Et Formâ ac Modo faciendi ordinandi & consecrandi Episcopos Sacerdotes & Diaconos.*

Subscribendum est etiam his verbis: *Librum dictum Verbo Dei neqaqam contradicere, at piè adhiberi posse; nos qoq; formulis isthîc præscriptis, neq; aliis qibuslibet, in Precationibus publicis & Sacramentorum administrationibus, usuros esse.*

Obtusi nos, qibus, *Humanum* esse aliqantulùm errare, fit

fit opinio; & *Effectus nil posse causarum vim superare*; hæremus hìc loci cumprimìs. Docentibus ipsis qibus subscribere tenemur *Articulis*, & qindecimo & vicesimo primo, nobis fides est *Christum solum* peccato vacare. Cæteros nos universos, qanqàm *Baptizatos* & *in Christo Regenitos*, in plurimis transgredi. Fallere item nos seu seducere nosmetipsos, & veritate vacuos esse, si dixerimus nos peccatum non habere. *Concilia* qoq; qod attinet ad *Generalia*, cùm Conventus sint hominum, è qibus haud unusqisq; Spiritu Dei gubernatur, Verboq; errare posse, atq; aliqando in rebus Deum spectantibus errâsse, credimus. Neq; *Liturgiam* errore qolibet immunem, à *Viatoribus*. se non immunes esse vociferantibus, proficisci posse liqet. At vel *Lippis & tonsoribus notum est*, nullâ compesci mappâ enatum hinc *Papicolis* risum posse. Ecqis enim ipsis responderit, *Infallibilitatis prærogativam* sibi vendicare *Hierarchicos* nostrates, clamitantibus? Minime gentium. Qandoqidem, qod luce clarius est, haud ampliùs vel *Italicæ gentis Papæ* vendicatum eunt: nec *Assensum Consensumq*; Ecclesiæ Catholicæ Canonibus pleniorem postulant, qàm postulant Libris antedictis *Ecclesiæ Anglicanæ Patres*. Qi, qantùm nos sapimus, Libros illos suos vel S. *Bibliis* anteponere malè videntur. *Bibliorum Codices*, alios atq; alios, in dubium vocârunt non nulli, qos haud ideò suspenderint ab Officio *benigni Præsules*. Et qid multis opus est? Ad salutem necessarium à Deo fieri *Assensum & Consensum omnibus & singulis, contentis, præscriptisq; in Bibliis Sacro*

Sanctis, utrinq; negatur. Qocirca abire in malam rem jubemus, *Tyrannidem ſuam* eò uſq; turpiſſimam: nec *Attalicis dimovendi ſumus conditionibus*, abs iſtâ, qantum nos penes eſt, pudefaciendâ.

Æqo duriús nos omnia intelligere, *Scioli* ganniunt pleriq; At id vitii haud intentant in nos *Epiſcopi*, qibus bilem movet acerrimam *de interpretatione qâlibet emolliente* verbulum. Nugatorum verò omnium ſuaviſſimi ſunt, qibus *in ore nihil* freqentius eſt, Articulos tantummodò *Pacis* eſſe, non *Fidei*, qibus conſentire aſtringimur. *Qicqid mentis inopi lubet, id Campana ſonans diſertè exprimit*, dicimus *Anglici*. At *ſuppoſitio nil ponit in eſſe* qod uſu omni compertum eſt. Mentem *Præſules* ſuam, & *Senatus*, (ipſis κάτ' ἐπὸς obſequens) verbis *conceptiſſimis*, *perſpicuis*, & ſat ſupérq; *repetitis* exponit: nec qis jejunè *contraphiloſophandi* locus relinqitur. Ludibrium debet & certo certiùs ſolvet, qiſqis, colendæ Pacis Juramentum, ſatìs pro *Conformitate Anglicanâ* noſtrâ facturum ſomnians, id Epiſcopi arbitrio ſubmiſerit. Locuturum *ſe mandatis aliqibuſdam fidem adhibere nullam*, excipient verborum fulgura & tonitrua; nec *de Pace rhetoricari* ſuſtinebitur.

Qòd ſi immaculata extarent omnia, & cujuſlibet erroris expertia, præſcriptis adhærere formis, *ita ut præcipiunt mordicùs*, pigeret; atq; abs eo pollicendo refugeret animus. Noſtrum enim eſſe arbitramur, *Preces*, non ſecùs ac *Conciones*, conceptis à nobiſmet verbis efferre: neq; tantæ *Miniſterii* cui vovemur parti

D nos

nos deesse ; nedum ſimpliciter illam renunciare, audemus. Formulas precum alias, in S. *Jejuniis* & *Gratiarum actionibus*, pro mandato Regio conſcriptas, *imponunt* qandoq; & *legunt Epiſcopi*. Mirum eſt ſe haud temperâſſe igitur ab aliarum omnium uſu, ſine qâlibet reſtrictionis umbrâ, prohibendo. *Conformes Miniſtri*, tantùm non omnes, ante Concionandum, aliis utuntur Precum formis ; qâ fœderis hujuſce icti *memoriâ* aut *conſcientiâ*, ipſi viderint. *Nonconformibus* autem nobis, non licet eſſe tam diſertis, contra ipſiſſima ſolennis Promiſſi verba.

Nec facili qidem hauſtu ſorbemus articulum fidei recentem, qem propinat his verbis *Rubrica*, omnium conſenſu proſeqenda, ſc. *Conſtare ex Verbo Dei infantes Baptiſmate donatos habere omnia ad ſalutem neceſſaria* ; *&, ſi, antequam peccatum actuale admiſerint, moriantur, ſalvari indubiè.*

O Cœcos qotqot eſtis uſqeqaq; *Theologos*, qi de iſto calamis ſtrictis (*andabatæ*) digladiatis, qod unicuiq; vel *è plebe Theologorum noſtratium* ita conſtat! qinimò & qod ignorare apud *Anglos* piaculum eſt ; idq; à S. *Miniſterio* fugantiſſimum! O Infantum Patres non duros, *Antiſtites* noſtros!

Salvari, haud *aliqos* (qod nemo negaverit,) ſed *omnigenos* volunt. (*Indefinitum æqivalet Univerſali.*) Atq;

Id ſalutis è S. *Scripturâ* conſtare affirmant ; nec dignantur tamen *Textuarii* adeò præpollentes, nobis, *omnium egenis*, verſiculum qempiam eò facturum indigitare.

Et,

Et, qo crudelius nihil compareret, à S. *Ministerio* arcentur qotqot sine cortice natare neqeunt; & suopte ingenio textus id ζητούμενον dubio omni eximentes asseqi.

Fieri posse ut viri, *cæterà præstantes*, vel hoc somnii somnient, nulli dubitamus. Insomnium autem esse hunc *Articulum* & à veritate alienum, fusè alibi probavimus; & vobis, præjudicii glaucomate non oppletis, strictura *Paulina* unica, 1 *Cor*. 7. 14. habita, sât evincet. Qandoqidem (qod alii textus innumeri non obscurè agunt,) Infidelium liberos hæc impuros esse, qoad gratiæ fœdus peregrinos, ac investiturâ Baptismali minimè donandos, liqidissimè asserit!

Ipsum eqidem *Pædobaptismum è Traditionum Cisternis* depromi, non ipso *sacrarum Literarum fonte*; loquuntur *è Conformibus* non pauci. Qibus illi ergo machinis cuniculisve, ex hoc fonte, *Infantum Baptizatorum salutem*, polydædalei hauserint, solvat qi solvere potis est *Oedipus*! Qinetiam & dubios animi de doctrinæ Christianæ *& Prorâ & Puppe*, salutis compotes pronuntiant Theologi qidam, è suis antesignani; modò superet qod dubii est minima fides; atq; inniti in Deum salvatorem, eiq; fugacis mundi qisqilias postponere sit valens. Ita nihilominùs aut *sapiunt* aut *desipiunt* capita hæc ipsissima, ut nos circa qorundam Baptizatorum salutem hæsitantes, *officio* interdicendos & *beneficio* omni asseverant. Hem σκληροκαρδίαν! & hyperbolicum in efferendis supra S *Evangelium* deliramentis rigorem!

At nos haud antè erimus ausi hunc articulum θεόδοτον

 asserere,

asserere, qàm deleverit è sacro Codice, qi inscripserit, percellentia nos verba; "*Testor cuivis audienti verba* "*Prophetiæ Libri hujus; si qis adjecerit ad hæc, impo-* "*net ei Deus plagas in Libro isto scriptas.* Sed eundum est.

Inter Baptizandum, *sponsores* & *sponsatrices*, *Patrimi Matrimæ*, adhibentur, infantem nil adoptantes, in illius tamen vice cum Deo fœderaturi. Parentibus in consortium minimè acceptis, ast id spondendi munus à *Canone* vicesimo nono obire vetitis. Spondent omnia in *Liturgiâ* memorata, nec qicqam præstereà verbum, dicti sponsores. Neq; morantur, impræsentiarùm infantis loco, profiteri missum *Carni*, *Sæculo*, & *Satanæ* nuncium. *Fidémq*; qoad *symboli Apostolici* articulos, immotam; nec non *desiderium Baptismatis assumendi* ardens suum. In se insupèr recipiunt sanctissimé, infantem, tunc cum adoleverit, id voti solennisq; promissi docere, ad S. *Conciones* audiendas provocare; & vel maximè, ut *Symboli*, *Precationis Dominicæ*, & *Decalogi* doctrinâ, saltem vernaculâ, ut imbuatur curare. Aliorum item omnium qæ *Christianorum* scire *interest*, & credere in salutem animæ. Deniq; ut probè formetur pueritia, ad vitam sanctam agendam & Christianam. Cui destitutæ divinâ institutione praxi, & multifariàm adversæ, non consensuri omnes à S. *Ministerio* protelamur.

Consensui verùm nostro obstant multa. Nefariè etenim prohiberi Parentes pios, à dedicatione liberorum in *Baptismate* profitendâ, existimamus: & permitti

intereà

intereà *Patrimos*, *Atheorum*, *Sadducæorum*, *Judæorum*, *Infidelium*, & in facinus qodcunq; juratorum Infantes offerre *Baptizandos*. Infantúmq; perſonas induere, jure planè nullo in *Pollicendo* priùs dicta & *profitendo* in parvulorum vice. Qaſi re verâ, qo nihil falſius, ad iſthæc omnia profitenda & pollicenda Infans *Baptizandus* unuſqiſq; divinitùs eſſet obligatus. Nec ſceleroſum minùs opinamur, *Infidelium* palàm & *Profanorum* liberos, perinde ac *Christianorum* ſacrâ Lotione dignari. Qod qidem & ipſos Fœderatos eſſe mentitur; & S. Baptiſmo (rei in toto vitæ curriculo maximæ,) detestandum cedit in opprobrium. De *Sponſorum* notiſſimâ ubiq; locorum perfidiâ, & contumeliis qæ ſuboriuntur graviſſimis, dicere, infinitum eſſet. Perplurimos id officium ſortitos, imberbes, ſacrarum literarum rudes, atq; omni pietatis, omni probitatis umbrâ procul diſſitos, qotidianis ferè oculis videre eſt. Ex omnibus autem, muneris partes ſolenniter promiſſas exacturus, adhuc temporis *innotuit nemo homo*. Et (neq; mirum,) lucelli res jociq; potiùs vulgò habetur, qàm pietatis aut cujuſpiam pietati affinis, ſponſoria *Paternitas* tota, & *Maternitas*. Dicis cauſâ poſtulari, dicis cauſâ ſuſtineri, utraq; videtur.

Sunt etiam è noſtratibus plurimi, qi, propter qòd ex ſuâ fide & profeſſione infantulum ſacro fœdere comprehendi colligitur, & ſigno fœderali obſignandum eſſe; muneris ſui eſſe, *nec per alios qoſlibet obeundi* putant, infantem unumqemq; ſuum offerre *Baptizandum*; & de eodem in Fide ac Pietate educando fidem dare.

Nec

Nec perpeti, ut *spuria* qalis qalis paternitas, submoveat suo loco *germanam*. Qi autem liberos horum omnium, utut pietate præstantium, *Baptismo* igitur orbari non *consenserit*, is *Ecclesiæ Anglicanæ Minister* neqaqam evaserit. Sic etenim *Rubrica*; '*Erit Infanti unicuiq; masculo cum Patrimis duobus una Matrima; & femineo cuilibet Patrimus unus cum Matrimis duabus.* Sic etiam, subscribendus universis Ministris, Canon. '*Ille ipse usus erit formulâ in Libro dicto præscriptâ in Precibus publicis & Sacramentorum administrationibus, atq; diversâ nullâ.* Nos autem ob *humanum*, *nil necessum*, si non & *neqam* inventum à Parentibus non admissum, Infantes haud numerandos ovili *Jesu Christi* excluserimus? *B. Salvatorem* & *Ecclesiam* suo sanguine coemptam tot numero Membris visibilibus ob rem nihili defraudabimus? *Adhæreant priùs Linguæ Palatis, & Dextræ sui obliviscantur!*

Deindè qibus Infantes signo crucis signandi scrupulus hæserit, nullis in Ministerium fores patefiunt. Signandi isthoc signo intelligimus, '*in testimonium qod Baptizatum non olim puduerit Christum confiteri crucifixum; Et sub ejus vexillo contra Peccatum, Mundum, Satanámq; pro virili pugnare. Fidelémq; ejus Ministrum ac Militem ad extremum halitum agere.* Ita διαῤῥήδην *Liturgia*. Cui accinit *Canon*, '*Dedicari per hoc insigne Baptizatos in Ministerium illius, cujus beneficia in Baptismo collata crucis nomen repræsentat.* Nobis haud dum occurrit in crebris qos sacra pagina memorat Baptismis, adhibiti hujusce signi mentio. Et, ne nimii simus

in

in causâ satis facili, uno verbo dicimus: signa instituendi Sacramentalia unius Dei potestatem esse, in confesso est ipsos inter *Hierarchicos*. Ipsosmet autem illos hoc signi affatìm Sacramentale instituere, multùm diúq; palàm fecimus argumentis non evertendis. Per id signum Infantes Deo dedicari, intonant. Nobis autem, signum *per qod istiusmodi fit dedicatio*, oppidò est Sacramentale. Neq; alitèr Reverendissimo è suis *Præsuli Mortono*; qi Dedicationis verbum nunqam in *Canonem* fuisse insertum optaverit! Qin & è *Catechismo Liturgico*, sic argumentatus est dudùm non-nemo: *signum visibile internæ spiritualis gratiæ est signum Sacramentale. Crucis signum est signum visibile internæ spiritualis gratiæ. Ergo*,

De *Majore* non dubitaverit, qicunq; omni vacare culpâ *Liturgian* medullitùs crediderit. Nec de *Minore* lis erit, si formula verborum modò memorata vel levissimâ introspectione potiatur animi probè defœcati. Ob oculos etenim sunt quæcunq; ad id illustrandum vel maximè conducunt. Præstò est *signum visibile*. Fœderis Christi *gratia*, cùm *Acqisita* tum *Exhibita*, per id signi signari planè efficitur. Atq; istiusmodi fit *illius significatio*, qæ locum medii ob id exhibendum instituti nacta est. Medii (si placuerit) per significatum excitatorium operabundi. *Signum* est item Fœderaturi cujuslibet ad ea qæ Fœderis sunt observanda devincientissimum. *Symbolum* deniq; fit & insigne Ordinis seu statûs ingressi. Qod si nec hæc omnia faciunt ut hoc signaculi *Sacramentale* jure merito audiat, nos *qid*

distent

distent æra lupinis ægrè novimus. Intereà vel hæsuris in dubio stat sententia necessum, abs Institutionis J. Christi simplicitate non avelli. Nec, ob *Indos utrosq;* dono dandos, (qod truculentiùs adhuc imperatur,) singulos signum crucis haud laturos Infántum frontibus signari, anathemate ferire ; & Infantes suos à *Baptismo* arcere.

Cæterùm à S. Ministerio ablegandi sumus omnes, id immanitatis haud sponsuri : &, qod par est, omnium à Sacrâ* Cœnâ exterminationem, qotqot *genuflexionem* in istâ celebrandâ obtrusam haud sustinuerint. Sunt eqidem qibus argumenta qæ probaturiunt id genuflexionis *Idololatreian* sapere, solubilia videntur ; sed posse viris vel optimis aqam hærere, utrùm planè non sapiat ; & an liceat ipsis innovato uti ritu, qem prohibuit *Ecclesia primæva*, qocum, in *Idololatreiâ suâ* confirmari *Papicolas* liqet, & qi convivantibus pessimè convenit, dabunt sani omnes. Optimis autem hisce, qorum inops *Anglia* est minimè, sacra nos symbola subduxerimus ? illosq; ex albo Fidelium deletos, cibatu sacro potúq;, quorum longè dignissimi sunt, privabimus ? atq; exosis Deo & sanctis derisoribus naso dabimus suspendendos ? Difficile est à *duris dictu* temperare ; sed *motos lubet componere fluctus !*

Anniversariam *diei Paschatis* successionem perpetuam comperiundi, regulâ nihil aurea gaudent *Liturgici* nostri : at, vel *Calendaria vulgaria* provocamus, sæpenumerò mendaci. Sic se habent verbula ; '*Domi-* '*nicæ, post id plenilunii qod post Martii diem* 21*m.* *accidit,*

excidit, primæ omnium nunquam non incidit dies Paschæ. Stultulus est, neq; diffitemur, *ineptiarum labor. Rem ipsam* qod spectat levissimè de istâ laboramus *Nonconformes!* Veruntamen solenniter, vel in levissimis mentiri, ac notum pro verissimo falsum & *scribere* & *proloqi*, nobis lusui non est. Innocuis certè mendaciis patroni cluunt, (viri qanti?) & *de Jure belli scriptor non ignobilis,* & *Ductor dubitantium sat celebris.* At utrosq; multo argumentorum pondere obrutos, dedit jamdudùm, *miles veritatis sacræ veteranus.* Sin aliter, ex cujus arbitrio toti pendemus, sat abundè priùs refellerit *sacra Pagina.* Et qi ipsum præstolamur judicem, cui πᾶς ὁ φιλῶν καὶ ποιῶν ψεῦδος, infensissimus est, oculos antè orbitis erui sustinebimus, qàm hoc genus mendacii, qantumvis innocui, è labris extorqeri nostris.

Neq; ad qod pari ferociâ adigunt nos *Hierarchici,* universos qales qales sepultos (exceptis tantummodò non *Baptizatis, Excommunicatis,* & *sui occisoribus*) in vitam æternam Resurrecturos esse, incunctanter testari erit libitum. Eousq; *Longitudinis Latitudinis* & *profunditatis* se protendit, mirifica *Charitas Liturgica.* Sed falsiloqii Deo maximo fundendi, indulgendus est nobis metus; item Verbo sacro, pereundum esse *Impœnitentibus* effulminaturo, inficias eundi; atq; Peccatorum gentem omnem in peccatis obfirmandi. Obfirmantur etenim nec mediocritèr, cùm qos inter *Concionandum,* in Gehennam damnatos audiverint, ipsos, inter *Sepeliendum,* supremis illocatos Cœlis (*abs iisdem Ecclesiæ Angelis*) auribus exceperint.

A *Septembris* die 28vâ adúsq; *Novembris* 24tam, libros indiès legi publicè *Apocryphos* in mandatis est. Scilicèt, nisi cùm præter-ordinariæ Lectiones fuerint interpositæ, *Judithæ* Liber, *Tobiti*, *Belis* & *Draconis*, legendi sunt. Mendaciloqos autem esse & figmentis putis constare, conqesti sunt ex *Episcopis* & *Ecclesiæ Anglicanæ Doctoribus* plurimi. Nec tamen, ob rudiores monendos, ne pari reverentiâ Libros hosce cum *Canonicis* suscipiant, alius est *his* legendis ordo, alius *Canonicis*. Qod si, minervâ utut invitâ, prætermissis *Instrumenti Veteris* 188. capitibus, *Apocrypha* 121. capita percurrere persuasum esset; non hujus id æstimarent *Prælati* : *Instituto* huic *Liturgico* haud consensuris, albósq; addituris calculos, sacrum obstinatè interdicitur *Ministerium*.

Versionem *Psalmorum* textui hebraico malè morigeram, & mendis (*adinstar muscarum cùm calet maximè*) scatentem, gestat *Liturgia*. Attamen obligari omnes ad istam Legendam volunt *Præsules*; posthabitâ ei Translatione novâ accuratissimâ, *Anglis* universis pergratâ, & ad invidiam Exterarum gentium elaboratâ. Bella est hæc unica, quam obtendunt consuetudini, ratiuncula; *Vetus Translatio, utíq; punctis distincta, musicæ Organicæ est accommodatior.* Nos, qanqam *Metricæ Psalmodiæ* nos potissimùm delectat sacer usus, de eo Musicæ novitiæ ob qam rixantur, haud adeo optimè sentimus. Damnat id *Aquinas*, & ad Pædagogicum Veteris Testamenti cultum ablegat. Atq; *Ecclesiam per octingentos annos & qod excurrit eo caruisse*, testis est ipse

Bellar-

Bellarminus. Sed, dato, non concesso, *delectare* insimul & *prodesse* cœtibus *plurimum* hanc Melodiam. Hujus accommodandi gratiâ, præfractè S. *Scripturam* ludificare neq; versionibus fastidium bonis plerisq; cientibus exuere, pietatis erit? Atq; *Liturgiam* nihil Verbo Dei contrarium; & non laudabile nihil continere, intereà *vociferari!* Non obstante, qod in *Psalterio* hìc *verba*, illic *sententiæ integræ*, desiderantur; atq; alibì in sensum planè *alienum*, qinimò *& contrarium* feruntur periodi non paucissimæ. Legitur Psal. 105. 28. *Non erant Obedientes*, cùm Hebræa veritas luculentissima habeat, *Non erant Rebelles!* Sed in ulcere uno qolibet nolumus hìc loci ungues.

Ab *Episcopis* nondum Confirmatos, aptos saltem, cupidósq; Confirmandi pro more qi obtinet Anglicano, ad *Sacram Synaxin* admittere interdictum est. *Mos* autem, qem loqimur, *Anglicanus*, indigenis præstantibus plurimis offendiculo est. Nugatio mera habetur apud illos Confirmatio, cujus sat capaces sunt omnes; qi responsa è *vulgari Catechismo* hausta memoritèr profari possunt. Qanqam ne plùs intelligunt *Sacri Evangelii elementa*, qàm inauditum *Aristotelis* Organon. Nec de eo inqirere *Episcopi* solent, at omnibus in genua provolutis imponere manus & benedicere. Adeò nihil experiuntur an qi se Confirmandos sistunt, sese examinare possint, in se descendere, & ad *Mensam Mysticam* sese ritè preparare. Hinc otiosa, nec tersintiò habita cæremonia, audit *Confirmatio* dicta. Neq; è *centenis nostratibus*, nisi hallucinamur maximè, *Confirmatur* plerumq;

rumq; unus. Verùm qidem est, è cæterà Conformibus, nullos à Sacrâ Cœnâ avertunt *Ministri* ob id delicti, aut si *nigerrimus qis Cygnus qempiam* alicubì averterit, aures non appulit nostras rigor is infreqens. Nobis autem Religio est, jugum hoc cervicibus impositum, Verbo Dei non contrarium affirmare ; & ad bonorum luem luctúmq; in nos recipere ; atq; viris citra *B. Salvatoris* autoritatem dominaturis, aures submittere perterebrandas.

Templorum ornamenta, anno EDVARDI 6ti secundo præcepta ; nec non Ministrorum qotiescunq; ministrantium ; retineri consentiendum est, à qibuslibet S. *Ministerium* ingressuris. Brevissimè nos, *qid impedit consensum*, dixerimus. Ornamenta ista, *alba* fuerint an *atra*, haud satìs novimus. Exoleta esse plurima, fertur ; nec à fratribus adhiberi nostris vel maximoperè Conformibus. Neq; de ignotis, inauditis, & inconspectis ubiubi venimus, placidè nos pronunciamus. Cæterùm *Regis memorati* tempus, exile admodùm *Reformationis* fuisse minorennium, novimus. Idq; in exemplum trahi debere à *consummandæ Reformationis* probè cupidis, ægerrimè nobis constiterit.

Ordinarium (ut loqi amant) de unoqolibet à S. *Synaxi* rejecto certum fieri perpetìm, idq; intra soles bis septem ; eundémq; rejectum, abs *Ordinario*, pro *Canone*, in jus vocari, consentiendum est. Sed id oneris gravissimi, nostri recusant ferre humeri! Primò, qòd aut *Laici* puti sunt hi *Ordinarii*, aut *Presbyteri qidam singuli*, qos in Fratres atq; Ecclesias numero multas dominari

minari iniqum ducimus. Aut, qos haud magè suspicimus, *Diocesani* sunt *Episcopi*, térq; qatérq; centenas Ecclesias uno Pastorali pedo suo coacturi. *Dominos* hosce, (*si tamen Dominos*,) cognoscere neqaqam possumus. Secundò, si coram *Ordinariis*, rejiciendos à *Sacrâ Cœnâ* omnes, accusatos sisteremus, ad pollinctorem mittendum est ilicò, qi *Ministerium* efferat & condiat. Mortem verissimè enim obiret repentinam. Nam & *haud Confirmati* abs Episcopo omnes, & *Ignari Improbiq*; malitiosi, una *cum minùs æqo Conformibus*, qi tantum non *grex totus in agris* sunt, rejectum veniunt. Qod nec suo caret pondere, procul dissitæ sunt pleræq; *Ordinariorum* curiæ; nec absq; & temporis & æris dispendio adventandæ. Dispendio, studiis sacris inimicissimo, & mille modis noxio. Interea qas non *sannas*, *odia*, *simultates* & *contumelias* qorumcúnq; accusatorum, in ferocientem ita *Ministrum* cumularet hæc praxis? Qid non in *Ministerii* totius *despectum* & *fugam* coacervaret? At qid multa sapientibus, (immemores,) profundimus? In corrumpendæ *Ecclesiasticæ Disciplinæ* facinus, jurare nondum didicit gens *Nonconformium*. Aut in perniciem moribus præcellentissimis hominum conspirare.

Consentiendum est excommunicari ad unum omnes, affirmaturos *Liturgiam* Sacris Literis Nonconforme qicqam continere, seu *Ritus* & *Cæremonias* qaslibet probandas non esse aut usurpandas licitè: item Articulos 39 haud subscribendos de qavis *Traditionum* aut *Cæremoniarum* reculâ. Legenda est insupèr propalàm

hæc

hæc *Excommunicatio*, imperante id *Episcopo*.

Stat certè in hoc qarto Canone, nec habet qò progrediatur, insensus Cœlò *Puritanismus*. Liturgiæ nostræ nulla desunt, nulla supersunt. *Sithoniâ* purior nive tota ipsa est. Ne minimâ stultitiæ labeculâ opifices gloriatur aspersos! O si, pro sanctimoniâ parili, haud Satanæ traderent properè nos *Liturgici* qibus cœlestis illa *graduum* (uti loqimur) *Perfectio* non illuxerit! Dato, continere Liturgiam *unicum qidpiam* Verbo Dei non consonum; ob *Veritatem* pro officio cultam, *Anathemate* nos feriunt. Sin alitèr, vili qidem vænimus: atq; ergo hominum mendicabula vapulamus, qia, *in multis impingere omnes, à D. Jacobo* edocti, non excipi debere ipsos *Liturgiæ* autores, decepti putamus. Neq; Excommunicatu dignos opinamur Pios omnes, qi *de J. Christi ad inferos descensu* dubitant; qíq; Corpus glorificatum ejus & carne & ossibus carere, cum conciliis qà *Nicæ*, qà *Constant*. censent. Qi *Athanasii Symboli* verba, diversanimes fideles damnantia, non recipiunt omninò & credunt; cum cæteris plurimis, qi, si ingenuè, illâ qæ *J. Christi cultores decet* παῤῥησίᾳ, animorum sensa proferrent, qinto Canone id exigente, ipso facto Excommunicati forent.

Audiatur sàt harmonicus *Canon* septimus, *Nostra Crux altera*. "*Si qis dehinc affirmaverit regimen Ecclesiasti-*
"*cum Anglicanum, sub regiâ Majestate, per Archiepiscopos,*
"*Episcopus, Decanos, Archidiaconos, & reliqos in eodem*
"*Officiales Anti-Christianum esse, seu Verbo Dei repugnare,*
"*Excommunicetur is ipso facto; atq; ita maneat donec*

"*resipuerit,*

" *resipuerit, & tam improbos errores suos propalàm re-*
" *tractaverit.* Qî verò nos *hunc Camelum* deglutiendo pares aliquando erimus? *Prælaturam Diocesanam* nostram, veterem cùm *Episcopatum* tum *Presbyterium*, omnémq; *veram Disciplinam* submovere ; & qod Verbo Dei repugnat substituere, invictè credimus ; & jamdudum è nobis qidam *in tractatu de Episcopis edito*, abundè evicerit. De *Laicis* Ecclesiæ claves arrepturis ; de *Sacerdotibus* & *Officialibus singulis*, Clerum Populúmq; adinstar subditorum, recturis ; déq; *Præsule* unico, per alios cósq; *Laicos*, ad morem planè sæcularem, omnia administraturo, jam ante diximus.

Nil abludit *Canon* octavus. " *Quicunq; posthàc affir-*
" *maverit aut docuerit Formulam ac modum faciendi &*
" *consecrandi Episcopos Sacerdotes seu Diaconos, aliqid-*
" *piam continere Verbo Dei contrarium, Excommunicetur*
" *ipso facto, neq; priùs restauretur qàm resipuerit & tam*
" *improbos errores suos publicè revocaverit.* Tantæ animis *Hierarchicis* iræ! Sed detur aliqantulùm hisce Formulis ne minimam irrepsisse mendam. Undè hujus fides ad *salutem*, & cum Opt. Deo *amicitiam* ita necessaria supramodùm est existimanda? Aut qid rei est, qod erroribus à Deo condonatis, nulla sit exoranda à *Prælatis Anglicanis* venia? Neq; levior qælibet qàm *Excommunicationis* censura. Qàm vellemus ut à *Romanensibus* ipsis mitioribus, erudiendos paululùm se sustinerent magni viri! Tres numero Ordines esse, *Episcoporum, Sacerdotum & Diaconorum*, haud unanimes isti statuunt: nec ob negandum, (qod nostri

non

non morantur *Prælati,*) tradendos Satanæ homunciones clamant. O minimè conformem (cui venerabundi assurgunt *Hierarchici,*) *Hammondum* Cl. nostrum! O dignum ipso facto excommunicari contrasentientem! Qandoqidem nec scribere veritus est, *probari neutiqam posse, antè Apostolos è vivis excessos, extitisse distinctos qoslibet Presbyteros Episcopis subjectos, atq; Ordinandi potestate Ligandiq; peccata & solvendi non usuros. Nec vel Ecclesiarum multarum & Presbyterorum Episcopos.* Utrùm formulæ Ordinandi ad id Officii cujus nuspiàm meminit *Evangelium,* haud repugnant Evangelio? Ut & istos ipsos Ordinandi, qos Concionari & qidlibet S doctrinæ exponere, strictè vetaverit Canon. Formulæ item in qibus est præstitum *Archiepiscopis* & *Episcopis* obedientiæ Canonicæ Juramentum? Judicent nos inter, sani qilibet pii, pilis (qo minimè hic opus est) in disputatione findendis inassuetissimi!

Si qemvis suæ *Conformitatis* Ministrum pœnituerit, ipsum suspendi jubet, *Excommunicari,* & de gradu dejici, Canon 38vus. At huic suffragari minimè *possumus,* qi & *Conformitatem* rem omninò pœnitendam arbitramur; & qoslibet vel non pœnitendorum pœnitentes, actutùm *Excommunicari* dignos non clamitemus.

Affirmantes *Ecclesiæ Anglicanæ Nonconformes,* posse alterius Ecclesiæ nomen verè sibi sumere; & qorumlibet Subjectorum conventus lege non admissos, veras licitásq; esse *Ecclesias*; damnant Canones nonus decimus

mus undecimúsq; Idq; pro eâ qâ sunt teneritudine, *Excommunicationem* adúsq;. At hoc qâ fronte agunt, non videmus. *Omnia cum fiant, Thaida Thais olet.* Ipsam *Romam* adulteram, veram esse Ecclesiam, licèt è corruptissimis, qot numero Scriptores contenderint? & qi (qæsumus) *Christiani, Muscovitas, Græcos, Abassinos, Coptas, Jacobitas, Nestorianos, Armenianósq;* inter *Veras Ecclesias* haud numerant? Famæ is suæ consuluerit pessimè, qicunq; *Separatistas Anglicanos* utrisve posthabiturum se fassus erit. Collectam citra Magistratûs supremi voluntatem, *Ecclesiam* veram esse non posse, vel duo vel nemo certè somniaverit. Ità collecti sunt, jure illibato, *Orthodoxi* per multas centurias *Christicolæ*: & cùm, injuriâ impendiò improbandâ, posteri se in eundem modum congregâssent, haud planè nullæ audiebant istorum *Ecclesiæ*. Qod qidem optimè *Romanæ, Græcísq;* item *Ecclesiis* cessit optimè. Sed heu plena mendaciorum omnia! Falsò *Separatistæ Hierarchicos*, falsò *Hierarchici Separatistas* Veris Ecclesiis exutum eunt.

Ecclesiæ Canoni 57mo insuavis eadem est indôles. Nos hic minimè patitur aut ad S. *Baptismum* aut S. *Cœnam* admittere nobis famelicè advenientes, qi prorsùs *ligneos* fugitant *Ministros*, & Verbum *Divini Fœderis* nunqam Prædicaturos. O *Natum scopulis Canonem!* Certè Canonicam servitutem servire haud parati sumus *Nonconformes*, qos miseret animarum ad *Leones*, dixerimus, seu *mutos Canes* & *in Cœno volutantes* sæpenumerò damnatarum. *Ex Auditu Fides*

F *nascitur*;

nascitur; *nec absq; Præcone verbi Auditus datur*: Et tamen intra limites *Parochiales* eo Præconii carentes subsidendum est perituris? aut si, non id ferentes, in viciniam iverint mendicatum, hospitio rerum sacrarum prohibendi sunt? & mox (qæ *Canonis* est mollitia,) Satanæ qàm solenniter tradendi. Qis hìc se tenuerit ferreus? sed Cynthius aurem.

Qibus pro tunicâ molestâ est *Superpellicium*, seu *Ministris* indui Præcepta Vestis Linea, excludit S. *Ministerio* omnes *Ecclesiasticum*, qod obtinet, *regimen*. Sed gravissimo, nisi fallimur, contra Libertatem Christianam peccato. Et vel maximè, qia & adversus *Legem Charitatis*; & *sub grandiori* qàm æqum est *pœnâ*, hujusce Vestis præcipitur usus. Usus, *Pseudocatholicis Romanensibus valdè gratissimus*; primis autem & purissimis *Ecclesiis* omninò inauditus, atq; spectatissimis plurimis ævi nostri Fidelibus haud medioeri scandalo factus. Qi de isto *faventiusculum* cogitant, Canonem mandaturum, in bonos innumeros armatum, leviùs nihil abominantur; atq; cum cæteris *Papismi* insignibus, *superpelliceum* in profundum maris demersum optant.

Seqitur Canon 58vus, qo cautum est ne qis Minister non incunctantèr Baptizet liberos qoscunq; sive *Dominicis* sive *Festis* diebus in Templum ob Baptisma recipiendum adductos. *Hierarchicos* efflictìm ardere *Pædobaptismum*, nil displicet. At ad ipsum *omnes* qorumcunq; Infantes, non modò *admittere* sed & *cogere*, piaculum putamus. Utpotè

qod

qod loqitur Parentes Ecclesiæ communione indignos, posse Liberis in communionem aditum vel *Jure Divino* patefacere; qo falsius nihil. In enarrando contemptu S. *Baptismi* hinc aborto, verbis non opus est; sat sonorè per *Angliam* hanc nostram res ipsa loqitur.

Nec Ministro aut Ministris licet *Jejunia Sacra* aut *indicere* aut *celebrare* sive propalàm, seu sub lare privato, vel aliqibus celebraturis interesse, nisi *Publica Authoritas* indixerit, aut *Episcopi Licentia* & Directio, *signo & sigillo* adornata, antè fuerint comparatæ. Ecqid est in *J. Christi* Ministros prælicentèr dominari, si hoccine mandatum à *Canone* 27mo profectum æqi boníq; sit consulendum? *Cornelium*, non olim *Judæi*, canone simili, à *Jejunando* restrinxerunt. Nec restringi debere Patremfamilias aliqempiam, censebunt capita non ferócitèr lascivientia. Misereatur & succurrat perituris paræcianis, *benignior animarum Episcopus*! Triobolares etenim habendi sunt Ministri, nec vel hujus æstimandi, qorum ne præstantissimo indulta sit tutò hæc *Jejunandi* copia. Qid si ex improvisò Fideli cupiam suborta sit *Tentatio* non cotidiana, *Reatus* qis ingens, *Periculum* è non minimis, & similia centena? *Aratro Vulpes* æqè apta est, ac Minister hic *Sacris Precibus* & *Jejunio*, anteqam ad *Orbis sui Papam* itum est. Dicto igitur Fideli, certè in pessimo loco res steterint sitæ. *Hierachicis* prosit nostris *hujus cusuræ Ministerium*; nos abs eo multùm metuimus!

Non impediente malâ valetudine aut re qâdam

 urgen-

urgentissimâ, tenetur è *Conformibus* unusqisq; perenniter de die in diem *Officia* lectum *Liturgica*, cum *Matutina* tum *Vespertina*. Qod qidem pensi Ministris, nunqam non negotiis urgentibus districtis, non optimè convenire videtur. Neq; fando nos excipimus, *Conformem è millibus unum*, susceptum id ac promissum præstare. Stipites autem essemus, nisi à Fœderibus istiusmodi *pangendis* atq; *colludendis*, aliena tanta deterreret Perfidia.

Astringitur qilibet *Minister*, *Parochiales*, cujuscunq; surfuris omnes, vel invitissimos, ad *Mensam Sacram* vi & armis Canonicis adigere. Atq; intractabiles unosqosq; *Excommunicatum* ire & *depilatum* miserè. Tali autem auxilio, & defensionibus istis *nil Evangelicis*, eget res religiosa? *Credat apella!* Volones solos conscribit *B. Servator*, & ad id *Epulum fœderale* vocat. Qorsum effera ergo & impotens famulis placet *Coactio*? Qorsum vis improba in *Sacrilegium*, *Hypocrisin*, *Profanitatem* & *animæ Exitium* plurimos impulsura? Multos, sibi malè conscios, in *terrorum tartara nigerrima*; omnem necnon Ecclesiam *in Chaos detestandum* confusura. Nimirum eâdem *Infidelium Catechumenorum*, & *Fidelium*, ratione turpitèr habitâ. Atq; hinc crebræ *Fidelium infirmorum*, de Ecclesiâ in mediâ Ecclesiâ incassùm qærendâ, stridulæ passìm qerelæ! Hinc sopiendi nunqam accenduntur ignes, sed *itum est in ultimam Separationis Thulen*, unam cultûs purioris sedem!

Dicat autem, *tantus Apollo* si quis fuerit, qo qidem modo

modo prodesse cœtibus aliqando hoc turcicæ coactionis, spes sit? Aut qem unum ubivis, in mentem saniorem restituisse, id *Hellebori*, sumptuosa docuerit Experientia? Deniq; *Prælaturæ* igitur *Diocesanæ* qota pars laudis est, tam cruentum canere classicum? *O Deúsq; Paterq; Domini Jesu Christi, miserere Populi Anglicani*; non digna qidem *facientis*, sed neq; abs *Hierarchiâ* nostrâ *ferentis! Sanctificetur, Cœlestis Pater, Nomen tuum, adveniat Regnum tuum, fiat tua, ut in Cœlis sic in Terris nostris Voluntas!*

Hæc est votorum summa *Nonconformibus*; qi, summatìm jam dictorum causâ, *totum diem occidimur*. Sexcenta sunt eqidem qæ missa fecimus gravamina; his *leviora* eqidem, sed nec admodùm tamen *levidensia*. Neq; perpauca sunt, qæ his *interplicata* memoratis, vel *qasi memorata* patefient. Qod si in *Iliade* qam nucellâ inclusam dedimus; in impositis tot numero *Juramentis, Subscriptionibus*, & *Declarationibus*, vel *unum* qid illicitum adhæserit, *Sanctimoniæ* non *Insaniæ* debenda est *Nonconformitas* nostra. Qandoqidem de *Postulatis suis* remissu qicqam *unum*, haud patiuntur explorati sàt plerumq; *Hierarchici*.

Qapropter vos, in *Jesu Christo Commilitones*, ad qos literis hisce provocamus, *dicite*, obtestamur ardentissimi; *Noverítq; Catholica qà Sol lucet Ecclesia*, qid est qod in causâ (qæ *Evangelium* vehit, & *res Evangelii*,) nostrâ, cordati sentitis. Antedicta ad unum omnia, *res nihili* censetis, ô Boni! & *Adiaphora*, jure merito, nuncupanda.

Hæccine

Hæccine vos *Adiaphora* probare posse satis fortiter, opinamini? aut *vivorum & mortuorum, præ foribus, Judicem*, ista pro *Adiaphoris* modò habiturum, fides vestra est?

Adiaphora hæc vobismet obtrusa, confestim vos bajulare, nec potiùs & *carceres* & *exilia* & vel *cruces* ferre adparati estis?

Novissimè, *Fratres*, & qàm maximè prolatu expetimus grande hoc, atq; agitatissimum *intra muros & extra*. sc. *Cujus qidem Consilii Autores Vos eritis*; aut ut *pergat laceratura* nos *Hierarchia*, aut *receptui canat*; id unum (qod Nonconformes ὁμοθυμαδὸν poscimus) datura; *ut eadem sit in Militantem atq; Triumphantem Ecclesiam data porta!* Ut idem sit ipsissimum *& Conformem esse & Christianum*; cultâ in *Necessariis* Unitate, in *Nonnecessariis* Libertate, in *Utrisq;* Charitate. Qo pacto, terras *Astræa* reviserit nostras, &, qo nihil optabilius, *mutua Fratrum Concordia*, supra qod dici pote sit *Ecclesiæ*, neq; qid minùs *Reipublicæ* irrigua! Qòd si id nescius cedendi typhus abnegaverit, gratulabitur, cum *Principe Tenebrarum deterrimo, Mundus in maligno positus.* Et, per sæcula, lachrymis proseqendum & suspiriis veriverbium erit. " *Sævis inter se convenit* " *Ursis, Christianis vel Reformatis non convenit!*

Valete *Fratres*, nec recusate *Monitisq; Precibúsq; Hierosolymæ* nostræ pâcem promovere.

Utcunq; Adversarios nostros transversùm rapuerit *calumniandi impetus*, de nobis haud aliter sentire vos qæsumus, qàm ex *antedictis* sentiendum esse constiterit; atq;

atq; ex *olim dicendis*; ſiqidem de qibuſlibet in *Appellatione* hâc præteritis, fieri certos res poſtulaverit. Deniq; exorandi eſtis, ut obſurdeſcatis planè mendaciloqis, garrientibus nos *regimini Eccleſiaſtico omni primævo adverſari*; *Formulas daninare omnigenas*; *ipſius Dominicæ Orationis uſum ſúſq; déq; habere*; & *inſanias* conſimiles ſexcentas *inſanire*, à qibus per Dei gratiam, Longiſſumè abſumus.

Cæterùm *Deus Pacis, qi reduxit à mortuis Jeſum omnium Dominum, magnum illum Ovium Paſtorem, per ſanguinem Fœderis Æterni Vos nobis* chariſſimos, *Nos* veſtri ſtudioſos, & *Hierarchiſtas* utríſq; noſtrum infenſos, (*Fratres tamen habendos,*) *perficiat in bono opere unoqolibet, ad voluntatem ipſius præſtandum*; *in omnibus ac ſingulis efficiens qod acceptum eſt in conſpectu ſuo per Jeſum Chriſtum*; *cui gloria eſto in ſæcula ſæculorum.* Amen.

FINIS.
